

BX 1756

F3

C6

V. 6



FONDO EMIETERIO
VALVERDE Y TELLEZ

IN FESTO SS. APOSTOLORUM PETRI ET PAULI.

EVANGELIUM. MATTH. XVI.

In illo tempore, venit Jesus in partes Cæsaræe Philippi, et interrogabat discipulos suos, dicens : Quem dicunt homines esse Filum hominis ? At illi dixerunt : Alii Joannem Baptistam, alii autem Eliam, alii vero Jeremiam, aut unum ex prophetis. Dicit illis Jesus : Vos autem quem me esse dicitis ? Respondens Simon Petrus, dixit : Tu es Christus Filius Dei vivi. Respondens autem Jesus, dixit ei : Beatus es Simon Barjona ; quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in cœlis est. Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non prævalebunt adversus eam. Et tibi dabo claves regni cœlorum. Et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in cœlis : et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in cœlis.

CONCIONES.

- I. Papa quanta injuria vocetur antichristus.
- II. Unum Ecclesiæ caput ostenditur.
- III. Romanæ sedis præcellentia.
- IV. Certamen virtutum inter utrumque apostolum.
- V. De gloria et præcellentia principum apostolorum.
- VI. Curam habendam boni nominis.
- VII. Non erubescendum confiteri Christum et vivere christiane.
- VIII. Documenta et mysteria.

CONCIONES AUCTARII.

- I. Christiani et ipsi sint petra, sicut Petrus et Paulus.
- II. Quomodo Petrus sua morte clarificari Deum.
- III. Varie quæstiones circa Petrum ejusque sedem Rom.
- IV. Quid debeamus summo pontifici.
- V. Petrus et Paulus duo Eccl. architecti.

CONCIO I.

PAPA QUANTA INJURIA VOGETUR ANTICHRISTUS A NOVATORIBUS.

- I. Antichristus proprio dicto unus homo singularis.
- II. Adversabitur Christo' e diametro. — III. Adversabitur vero Deo — IV. Nondum potest venisse. — V. Regnabit parvo tempore. — VI. Non regnabit Romæ. — VII. Quando enim cœpit?

THEMA.

Ego dico tibi, quia tu es Petrus. Matth. XVI.

Si novatores audiamus, non videtur Christus Dominus apposite respondisse confessioni Petri : Quia tu es Petrus ; multo enim aptius adeoque elegantius dicenti Petro : Tu es Christus, respondisset Dominus : Tu es antichristus. Dum enim hi contendunt papam esse antichristum, quidni etiam contendunt talem fuisse Petrum, qui fui

VI. PARS FESTIVALIS.

primus papa ? Sane ludiones isti plusquam ridiculi, nihil crebrius in ore habent, quam papam esse antichristum. Hoc jactitant in cancellis et scriptitant in libris : imo non nemo eorum nuper primum (Matth. Hoe, in engririd. evang.) scribere ausus est, id tam certum esse, quam certum est bis tria esse sex. Quasi vero usquead ipsos omnes alii cœci fuerint et nescierint, bis tria esse sex. Nemo enim ante ipsos vidit papam esse antichristum. Nos e contra ostendemus tam certum esse papam non esse antichristum, quam certum est bis tria esse sex, ipsos vero carun duces, prædicantes, non nisi ex odio et livore cœcos esse.

I. Quia antichristus proprio dictus, erit unus homo singularis, summi autem pontifices successione plurimi sunt, quibus omnibus omnia est nomen papæ, sicut nomen regis omnium est omnibus regibus. Non negamus anti-

f

003383

christos communiter dictos (qui nimur quo modo Christum oppugnarunt) plures fuisse et futuros esse, quemadmodum e contra plures dicti sunt christi; id enim patet 1. Joan. II. ubi dicitur: *Audistis, quia antichristus venit, et nunc antichristi multi facti sunt.* Verum antichristus proprius dictus, qui extremo tempore Christum omnium maxime oppugnabit, unus est. Quod colligitur primo ex ss. litteris. Et primo, Joan. V. ubi Christus ait: *Ego veni in nomine Patris mei et non receperitis me, si alius venerit in nomine suo, illum recipietis.* Ubi Dominus opponit personam sua personam antichristi, non plurimum pseudoprophetarum. Deinde, recipiendum ait a Judæis, quod in nullo papa contingit, aut continget. Denique, venturum in nomine suo, quia scilicet nullum agnoscat Deum: papæ omnes veniunt in nomine Christi, legitimate vocali, et electi. Secundo, II. Thess. II. ait de antichristo apostolus revealandum hominem peccati et filium perditionis, et quidem cum articulo Græco δ, denotans certam personam et singularem, et infra: *Tunc revelabitur ille inquis, quem Dominus Jesus interficiet spiritus oris sui.* Similiter, 1. Joan. II. cum dicitur: *Audistis, quia antichristus venit, et tunc antichristi multi facti sunt;* ubi articulus apponitur antichristo proprio dicto, non item secundo loco, quo communiter accipitur. Idem aperte colligitur ex Dan. VII. XI. et XII. Apoc. XIII. et XVII. ubi antichristus dicitur futurus unus quidam rex, qui alias decem partim sibi subieciet, partim occidet; dicitur regnaturus tribus annis cum dimidio. Addit Joannes habiturum nomen, quod conficit numerum 666. et facturum ut nemo possit emere aut vendere, nisi habeat hoc nomen seu characterem ejus. Quia omnia dicuntur et intelligenda sunt de certa aliqua persona. Quia autem ratione convenienter papæ? Fabulantur quidem hæretici nomen *Latinus*, facere hunc numerum, idque papæ convenire, quod in Latio regnet. Confirmant ex S. Irenæo, qui verisimile existimat, fore id nomen antichristo. Sed Irenæus in primis putat tantum probabiliter posse accommodari antichristo, subditque aliud sibi verosimilius, Titan videlicet, nihil denique asseverare vult. Deinde, ideo hoc verosimile putabat, quia tunc regnum Latinorum erat latissimum, quale erit antichristi: unde ea conjectura modo nihil valet. Rursum scripsit is perperam *Latinus*, per Græcum numerum qui, cum sit simplex, non conficit eum numerum vox *Latinus*. Denique, papa nunquam vocatus est *Latinus*. Nihilo plus valet vox Romanorum Hebraice scripta, ab eisdem excogitata: quia illa ejus terminatio femina est, non masculina. Et quid vultis? Innumerata excogitari possunt nomina ut sunt multa exco-
gitata, quæ numerum illum reddunt, v. g. Martin Luther. Numquid igitur sic vocabitur antichristus?

II. Antichristus adversabitur Christo e diametro, ut ipsum ejus nomen indicat, et apostolus, II. Thess. II. et Joannes, I. Joan. II. Item a medio tollit juge sacrificium, Dan. XII. quod non potest esse aliud quam missa. Quis autem papa hoc unquam fecit? Calumniantur hic hæretici multa, velut quod papa prohibeat nuptias (clericis videlicet), interdicat usum certorum ciborum, tollat Christi merita, et cœnam sub utraque ab ipso institutam, ejusque loco colat Deum pecuniam suum Maozin in missa, item sanctos pro diis: quod inebrietur sanguine testium Christi, (Lutheranorum et Calvinistarum, quos occidi jubet) atque hæc signa esse antichristi. Sed hæc omnia, hæreticorum columnas esse patet. Nuptias enim non prohibet, nisi consentientibus; (qui scilicet volunt fieri clericis) cibos non prohibet tamquam ex se malos, sed quibusdam diebus ob justas causas ex apostolica institutione inhibet; Christi merita non tollit aut obscurat, sed amplificat, dum asserit nostra inde suum valorem trahere; cœnam sub utraque institutam consicit, sed non ita distribuit, quia non hoc, sed illud tantum præceptum intelligit; Maozin nihil habet cum missa communione; sanctos colit papa non ut deos, sed ut Dei servos et amicos. Inebriari sanguine testium Christi, dicitur a Joanne meretrix, id est, idolatria, non antichristus: multo minus papa.

III. Antichristus adversabitur vero imo omni Deo, voletque ipse solus haberi et coli in templo ut Deus: *Extollitur, ait apost. II. Thessal. II. supra omne, quod dicitur Deus, aut quod colitur: ita ut in templo Dei sedeat ostendens se tamquam sit Deus.* Atqui nec papa, nec quis alius hactenus sustulit omne numen, aut voluit coli in templo velut Deus. Occurrunt hic hæretici, dicentes palam extollit super omnes deos, id est, principes terre, qui et ipsi dii vocantur, Psalm. LXXXI. eum ab omnibus coli et adorari, gestari in sella aurea, pedes osculandos omnibus porrigit. Sed respondet primo, Deum sumi ab apostolo in propria significacione, ita ut antichristus, non homines, sed Deum verum spreturus sit. Alioquin imp. Turcarum posset dici antichristus, quia omnibus regibus se præfert. Deinde, honorem qui exhibetur papæ, longe inferiorem esse cultu latræ seu numinis. Is enim honor multis aliis etiam hominibus impendi solet. Sic Abraham adoravit filios Heth, Gen. XXIII. sic Saraceni, Japenes, Sinæ, reges suos honorant, prostrati scilicet

et fronte humum ferientes. Imo de Ecclesia, ac consequenter ejus capite prædictis Isai. cap. XLVIII. *Vultu in terram demisso adorabunt te, et pulverem pedum tuorum lingent.* Ad hæc honor iste non contra, sed propter Christum, exhibetur papæ tamquam ejus vicario, adeoque honorem Christi potius auget et amplificat: sicut honor, qui exhibetur legato, redundat in regem, cuius est legatus papa non asserit se Deum aut Christum, sed Christi vicarium Dei miseratione constitutum, vocatque semetipsum servum servorum Dei.

IV. Antichristus nondum venit. Primo, quia non veniet nisi post eversum omnino Romanum imperium, quod erit ultimum, ut habetur, Dan. VII. II. Thess. II. juncto Apoc. XVII. Atque id necdum eversum est, nec visi adhuc sunt decem reges ejus eversores. Tametsi enim imperium Romanum nonnulli inclinatum est, et Roma ipsa imperium amisit, hoc tamen non sufficit; omnimodam eversionem et cessationem Romani imperii ipsiusque imperatoris requirunt prophætæ.

Secundo, non veniet nisi post prædicatum toto orbe evangelium, ut habetur Matth. XXIV. tunc enim venturam, ait Dominus, maximam et novissimam tribulationem, quam fore antichristi persecutionem docent patres: atqui evangelium nondum per totum orbem prædicatum esse, ostendit novus orbis, prius incognitus, in quo disseminali incipit, ergo, etc.

Tertio, cum venerit ipse, venient etiam Henoch et Elias, qui adhuc vivunt, ut venienti antichristo se opponant, qui ab ipso demum occidentur, ut habetur, Eccles. XLIV. et XLVIII. Malach. IV. Matth. XVII. Apoc. XI. et quidem in propria persona, alioqui non posset redi ratio, cur adhuc vivi reserventur: atqui hi duo prophæta non sunt adhuc visi, nedum a papa occisi.

Quarto, sub antichristo erit persecutio omnium gravissima, et solvetur Satanas, ut dicitur Apoc. XX. qui prius fuerat ligatus. At quando Romanus pontifex talem aliquando persecutionem exercitavit? Num quando comburi præcipit hæreticos? At quando major fuit persecutio non tantum Neronis, Domitiani, Decii, Diocletiani, etc? Sed ipsorum hæreticorum, Lutheranorum maxime et Calvinistarum nostro tempore, et Wandala Arianorum olim in catholicos? Quomodo ergo papæ persecutio talis est, qualis non fuit ab initio mundi, nec erit?

V. Antichristus regnabit tantum tres annos cum dimidio, Dan. VII. seu dies 1290. ut scribit idem Dan. cap. XII. seu XLII. mensibus ut Joan. cap. XI. et XIII. tunc paulo post erit mundi consummatio, ut colligitur ex Dan. VII. Apoc. XX. necnon II. Thess. atqui papa multo pluribus an-

nis, ne dicam diebus, regnavit, et tamen mundus adhuc durat. Ad hoc respondent adversarii, imperium antichristi jam cœpisse a tempore apostolorum et duraturum ad mundi finem, eo quod apostolus dicat II. Thess. II. mysterium iniquitatis jam operari. Sed hoc imprimis est contra expressa Danielis et Joannis verba. Secundo, queretur D. Petrum ejusque successores tunc fuisse antichristum. Quis enim alius tunc mysterium iniquitatis fuit? Num qui tyrannus, vel hærestarcha? Si asserant, jam concedere debent per mysterium iniquitatis, non intelligere apostolum ipsum antichristum, sed ejus prodromos, tyrannos vel hæreticos, quod est verissimum.

VI. Antichristus non regnabit Romæ (illa enim evertetur a decem regibus, Dan. VII. Apoc. XVII.) sed Hierosolymis, Apoc. XI. papa autem non regnat Hierosolymis, sed Romæ. Daniel etiam, cap. XI. ait, fixum antichristum tabernaculum suum inter maria super montem inclytum et sanctum. Maria ista non sunt Hadriaticum et Tyrrhem (ut volunt hæretici) inter quæ interjacet Roma: sed Mediterraneum et Mortuum, inter quæ sita est Jerosolyma: mons vero inelytus et sanctus, Sion intelligitur, Hieron. auctore, qui Roma nusquam visitur. Ergo Roma non erit sedes antichristi, sed Hierosolyma, quod expresse asserit Joan. Apoc. XII. cum asserit fore civitatem, ubi Dominus crucifixus est.

VII. Dicant adversarii, quoniam tempore papa cœperit esse antichristus. Respondent aliqui, ut David Chytraeus, cœpisse circa annum Dom. 600. vocantque S. Gregorium M. primum antichristum, eo quod cœperit inducere missas, purgatorium, indulgentias, imagines et cultum sanctorum, etc. contra legem Christi. Alii, ut Lutherus, Gregorium M. vocant ultimum Romanum pontificem; Bonifacium vero tertium, qui successit secundus Gregorio, primum antichristum volunt, eo quod titulum episcopi œcumenicæ accepit a Phoca imp. Sed fallunt nugatores. Nam primo, titulus œcumenicæ multo est antiquior in papa. Sic enim appellatus est Sixtus I. qui mortuus est anno 142. ut Baron. Sanetus Leo I. in Concilio œcumenario Chalcedone, qui vix longe ante Bonifacium. Præsidebant semper papæ Conciliis generalibus, etc. Deinde, fuisse ante Gregorium missas, imagines, cultum sanctorum, creditum purgatorium, etc. imo ab apostolorum tempore, docent omnes ss. patres illo antiquiores. Denique, si jam ab anno 600. cœpit antichristus sedere in Ecclesia, ergo omnes Christiani jam ab eo tempore facti sunt antichristiani; ergo Ecclesia, regnum Christi periit, columnæ firmamentum veritatis, ut vocatur ab apostolo; ergo Lutherus

CONCIO II.

et Calvinus in synagoga Satanae, et regno anti-christi nati sunt; ergo regnum antichristi multo diuturnius est regno Christi, etc.

Ecqua igitur vesania abripuit novatores in has densas tenebras, ut contra apertissima Scripturae testimonia, papam dicerent antichristum, quod nemo mortalium ante ipsos dixit aut vidit? Nimirum livor, et invidia, quam gerunt erga sedem Romanam ita excæcat illos. Durum telum est necessitas. Vident enim novantes, suas hæreses damnari a sede illa et damnatas esse. Quid agant ut declinent istum judicem? Necesse est ut faciant eum antichristum. Si enim faterentur eum Christi vicarium pro et cùm Christo esse, seipso condemnarent, et mox a nobis audirent: Cur ei non acquiescitis, quem dedit vobis Christus vicarium suum? Tolerabilius foret et in speciem probabilius quod dicenter, si papam antichristi saltem præcursorum: hoc enim pacto, licet atrocem calumniam ponatur, rogarent, tantam tamen injuriam Scriptura non inferant. Verum odium in papam ultra metam eos abripit, perinde ut rixosam mulierem, quæ ubi vindictam aliter sumere de marito non potest, totum virus ore depromit et quidquid cholera suggestit, plaustra conviciorum evomit in maritum, licet ea falsissima esse intelligat. Viri prudentes et cordati, qui ratione, non passione duocuntur, satis superque perspicient hanc et similes calumnias non nisi ex mero in papam odio profectas, ac proinde eas rident ac contemnunt, quemadmodum et ipsos calumniatores. Verius multo ipsos dicere antichristos possumus, quia nimurum ejus prodromi sunt; de quibus I. Joan. II. dicitur: *Nunc antichristi multi ex nobis prodierunt: sed non erant ex nobis, nam si fuissent ex nobis, permanserent utique nobiscum.* Optandum esset, ut hæretici legerent et intellegent, quam longe ab antichristo differant Romani papa. Utinam viderent eorum labores, eleemosynas, zelum pro Ecclesia defendenda, fideque christiana propaganda, humilitatis obsequia, etc. Tunc enim suam vesaniam utique damnarent, et ad unum Ecclesiæ pastorem in terris se quoque aggregarent: quod eis a summo pastore Christo ex animo precamur.

CONCIO II.

UNUM ECCLESIAE CAPUT VISIBILE ESSE.

I. Ostendit in natura optimus ordo. — II. Scriptura — III. SS. patres. — IV. Duratio cathedralæ Romanæ — V. Consensus fidelium.

THEMA.

Tu es Petrus et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Matth. XVI.

Hæreticis nostri temporis idem fere contingit quod Sodomitis evenit, Gen. XIX. Cum enim duces angeli ad Loth ingredierentur et diverterent, voluerunt pessimi cives, ut traderentur eis duo illi viri (quos angelos esse nesciebant) ad nefandam turpititudinem suam exercendam. Sed egressus Loth ad eos suadebat civibus, ut ab hac insanis desisterent, frustra tamen. Itaque angeli traxerunt Loth in domum, et clauso domus ostio percusserunt cives cæcitate, ita ut ostium domus invenerit non possent. Ad eundem modum hæretici, veram Ecclesiam investigant, non tam ut sequantur et pacate ingrediantur, quam ut offendant, lacerent, conspurcent. Ac licet Christus Ecclesiæ patersfamilias per S. Scripturam et suos doctores ad eos prodeat, ostiumque Ecclesiæ demonstraret, quia tamen non acquiescent illi, ideo percutiuntur a Deo aorasia: ita ut in ipso meridie ostium Ecclesiæ inventire nequeant. Annon hodie Ecclesiæ ostium eis demonstravit Dominus, cum Petro universalem Ecclesiæ supremum pastorum ac pontificalem dignitatem promittit? Annon luce clarus est Joan. XXI. collatum esse Petro hanc supremam (quæ hic promittitur) pontificatus dignitatem, cum ei Christus dixit: *Pasce oves meas?* Annon idem ostendunt multa alia fortissima argumenta? Annon demonstramus eis hanc petram Romæ hucusque consistentem? Et tamen hoc ipsum videre nolunt, imo pro indicio falsæ Ecclesiæ reputant et nobis exprobrant, quod indicium est veræ; dum nos papistas vocant per contemptum, quasi vero haec vox novam aliquam sectam et hæresin designaret, et non potius Petri Ecclesiæ, in qua ipse a Christo, primus papa constitutus est. Sed agite, ostendamus Ecclesiam Christi papam habere debere.

I. Ostendit ipsa natura in apibus et gruibus aliisque brutis animalibus, in quibus optimus ordo vel politia animadvertisit, quæ habent caput et ducem unum, quem sequuntur, sic in arboribus videamus multos ramusculos ad virgam, multas virgas ad ramum, multos ramos ad stipitem, multos stipes ad radicem unam infigi, et inde succum participare, fierique socios radicis et pinguedinis,

IN FESTO SS. APOSTOLORUM PETRI ET PAULI.

uti Paulus dixit ad Romanos XI. Sic coeli omnes a primo mobili diriguntur et motum ejus sequuntur: sic in humanis quælibet natio habet suum caput et ducem, a quo subditæ gubernantur et defenduntur. Neque dicas Ecclesiam habere caput, sed invisible tantum, Christum: nam cum Ecclesia sit visibilis, visible etiam caput habere debet, alioquin monstrum foret.

II. Ostendit Scriptura imprimis in hodierno evangelio, ubi primatum Petro clarissime promisit Dominus: *Tu es Petrus, inquit, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, etc.* Tametsi enim aliqui ss. patres ita etiam explicant hunc locum, ut per petram intelligent fidem Petri vel confessionem fidei vel etiam Christum: idem tamen aliis locis et reliqui omnes per petram proprio intelligent Petrum. Et sane locus ille proprium alium sensum non recipit. Primo, ob vocum synonymiam: quia enim Dominus Simoni cognomen Petri dederat, et Petrum seu petram (in Hebr. vel Syriaco) vocarat, adeo reddidit mox rationem hujus cognominis: *Et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, q. d. ideo te vocavi Cepham seu petram, quia super hunc Cepham seu petram ædificabo, etc.* Sicut quando angelus rationem reddidit nominis Jesu: *Vocabis eum Iesum, ipse enim salvum faciet populum suum,* Matth. I. et nominis Abraham, Genes. XVII. *Appellaberis Abraham, quia patrem multarum gentium constitui te.* Alioqui frustra vocaretur a Domino Petrus seu petra, si non super ipsum, sed super se tantum ædificare voluisse Ecclesiam: et fuisse nugatoria locutio. Secundo, obsequientia verba, quæ omnia ad Petrum pertinent: *Tibi dabo claves, subdit, regni cælorum: et quodcumque ligaveris, etc.* cur ergo non etiam media verba ad Petrum spectant, si antecedentia et consequentia ad illum spectant? Tertio, ob ipsius constructionis rationem, quæ congrua non foret, nisi ad Petrum dirigeret etiam illa verba: *Et super hanc petram.* Foret enim insulsa personarum variatio.

Sed objicies id I. Cor. X. *Fundamentum aliud nemo potest ponere præter id quod positum est, quod est Christus.* Respondetur Christum esse fundamentum primum et maximum, seu ut S. Aug. vocat, Ps. LXXXVI. *Fundamentum fundamentorum.* Petrum autem fundamentum secundum, Christo innixum, seu lapidem fundamentalem secundum, super Christum positum, in quo ipse et Ecclesia super utrumque subordinate fundatur. In primum fundamentum seu caput credimus, secundo obedimus tantum; Christus primarium et primum fundamentum est fidei nostræ, ideo, quod ea omnia credimus esse vera, quæ ipsa tamquam prima et infallibilis Veritas credenda nobis re-

velavit: credimus enim Deum trinum et unum, Verbum carnem factum, etc. non quia Petrus et Paulus, aut Joannes, aut aliquis pontifex dixit vel docuit: sed quia prima Veritas et Deus id revelavit, et asseruit. Et fides nostra in Christo tantum fundatur, qua etiam ratione hæretici credere se affirmant: sed quia non ita manifestum est, quæ sint illa, quæ Christus revelavit, idcirco dedit fundamentum alterum Petrum, ejusque successores, qui nobis dicant et proponant ea, quæ Christus revelavit, et discernant ab eis, quæ non revelavit, ut ne aberremus. Atque ita super utramque petram fundatur fides, diversa tamen ratione. Et idcirco Dominus absque dubio petram eum vocare voluit, *quod quasi prorex et vicarius futurus esset ejus, qui prima et maxima petra erat: suum ei epithetum communicans, qui similis ei futurus erat in officio etsi analogice tan-tum.*

Secundo, Joannis XXI. contulit Dominus Petro primatum, quem hic illi pollicitus erat, quando ter interrogato: *Simon diligis me plus his, subjunxit: Pasce oves meas, idque ter illi confirmavit.* Quis autem dubitat per oves intellexisse Christianos? Et cui alteri apostolorum aliquando dixit: *Pasce oves meas?*

Sane Christus, Joan. X. dixit: *Erit unus ovile et unus pastor: uti et prædictus Deus per Ezechiel, cap. XXXIV. dicens: Suscitabo super eos pastorem unum.* Quem vero alium constituit summum Ecclesiæ pastorem, si non Petrum? Neque vero solum Petrum sed etiam successores ejus, vel Petrum cum successoribus constituit Ecclesiæ pastorem: non enim ædificavit Christus Ecclesiæ, quæ cum Petro collaboretur et moreretur, sed post ipsum etiam duraret viveretque semper. Sic dignitas collata prälati alicui, censemur collata etiam ejus successoribus.

Tertio, patet ex multis actibus, in quibus Petrus velut caput et primatem apostolorum se gessit, ut quando in hodierno evang. pro omnibus apostolis respondit, quando, Act. I. præfuit electioni S. Matthiæ, quando post Spiritus sancti missionem primam concionem fecit maximo cum fructu, Act. II. quando primum miraculum post eamdem fecit, Act. III. et quidem in pedibus claudi, quia scilicet Petrus erat fundamentum Ecclesiæ, quod ex eo intelligit S. Ambros. ser. LXIX. quando in primo Concilio Jerosolymitano, Act. XV. primus sententiam tulit, cui Jacobus et alii adstipulati sunt, primus in ordine apostolorum ab evangelistis nominatur, etc.

III. Ostendit ipsa ratio. Primo, quia cum Ecclesia una sit et esse debeat, unum etiam caput habere debuit visible, ut ejus unitas conservari

CONCIO II.

posset : alioquin enim daretur occasio innumeris schismatibus, que orirentur nisi haberemus omnino leges directioni Ecclesiae sue necessarias unum caput visibile, quod subjecta membra dirigere in rebus fidei. Unde Hieron. lib. I. contra Jovinianum ait: « Super Petrum fundatur Ecclesia, licet id ipsum in alio loco super omnes apostolos fiat, et cuncti claves regni celorum accipiant, ut ex aequo super eos Ecclesia fortitudo solidetur, propterea inter duodecim unus eligitur, ut capite constituto schismatis tollatur occasio.» Sic ille. Et si apostolorum tempore, quando pauci fuerunt Christiani, et optimi episcopi, apostoli scilicet, qui errare non poterant in fide, necessarium fuit tale caput, ut schismatis occasio tolleretur : quanto magis necessarium erat posterioribus temporibus? Non minus, eo indiguit quam corpus eget capite, quam exercitus imperatore, quam oves pastore, quam civitas rectore, quam navis inter procellas constituta optimo ac perito gubernatore. Debuit itaque Christus postquam corporalem et visibilem presentiam suam Ecclesia subtraxit, vicarium aliquem suum substituere, et per successionem Ecclesiae sue semper conservare. Sicut in omni bono et constanti regimine unum esse caput debet, in exercitu dux, in regno rex, in civitate consul, in corpore caput, in domo paterfamilias. Et cur apud Lutheranos tot sectae, nisi quia non habent caput unum? Quod si alia petra, et aliud caput Ecclesiae non est nisi Christus; tunc quod futurum praedixit Dominus, Lutherus dicet: *Ecce hic est Christus*: dicet Zwinglius vel Calvinus: *Ecce hic est*: Anabaptistæ sibi eum vindicabunt: sic Iconomachi, etc. Idem inveniet, si per petram intelligamus fidem: nam et hanc isti certatim ad se rapient, sibique singuli usurpabunt; male ergo consuluisset Ecclesiae Christus; imo commentitia foret Ecclesia, si cognosci non posset, quia non haberet caput aspectabile.

Secundo, antequam fides catholica prædicatione evangelica per totum orbem dilatata esset, uno quodam universalis prælato opus erat, qui prædicatorum curam gereret, episcopos sua auctoritate institueret, eisque certos populos et dioeceses assignaret: alias enim prædicatio evangelica facile neglecta fuisset, aut saltem maxima confusione administrata, eisdemque periculum fuisset, ne cum animarum detimento hereticorum se huic negotio ingererent, adeoque per foramina multi intrarent ad curam pastoralem et prædicationem evangelii. Debuit ergo esse unus summus pastor, a quo omnes reliqui legitimam acciperent potestatem: quo dempto, quivis novator dicere posset, se legitime missum ad prædicandum, absolvendum, etc.

Tertio, cum Christus per seipsum non omnes omnino leges directioni Ecclesiae sue necessarias edidisset, uti testatur ipse dicens: *Multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo, ipsa ratio exigebat ut universalem Ecclesiam pastorem, quem humana auctoritate condendarum legum exornaret, constitueret, qui etiam easdem leges pro locorum ac temporum diversitate autex parte immutandi, aut ex toto abrogandi potestatem haberet, sicut in omnibus omnino bene constitutis regnis et rebus publicis fieri videmus.* Quis Concilium aliquod generale cogeret, si non esset potestas summi pontificis? Sane hereticorum nostri temporis licet non amplas provincias possideant, nullum adhuc generale concilium, in quo vel de uno articulo omnes convenirent, cogere potuerunt. Similiter Graeci ab anno 800. quo a sede Petri defecerunt, per totidem annos ne unam quidem synodus celebrarunt in argumentum mutuae consensionis: cum nos interim ab eo tempore decem Concilia generalia habuerimus.

Quarto, cum Scripturarum aliquem suum intellectu difficultes sint et singuli earum interpres in expositione errare possint, erroremque suum pertinaciter tueri, his malis remedium inveniri non poterit, nisi quispiam detur, qui infallibili Spiritus sanctus assistentia adjutus possit verum Scripturarum sensum infallibiliter eruere, controversias decidere, quæstiones determinare, errores et hereses condemnare. Hanc autem assistentiam datum Petro et ejus successoribus, patet ex illo Lucæ XXII. *Ego rogavi pro te, Petre, ut non deficiat fides tua.* Quod non tantum de Petro sed etiam de successoribus ejus accipendum vult S. Bernard. et alii. Neque sufficit præcise directio Spiritus sancti. Nam si in Concilio aliquo fides conciliari non possent (ut saepe factum in concilialis hereticorum et adhuc fit) quid tum faciendum? Ergo unusquisque supremus judex constitui debuit, qui infallibilem Spiritus sancti directiōnem haberet ad lites decidendas et dirimendas. Non sufficiunt ad hanc omnia Concilia generalia, quia nec semper haberit possent (uti primis 300. annis nullum habitum, licet multæ hereses existenter) et sine approbatione et auctoritate summi pontificis errare possunt, ut in Ariminensi et Ephesino secundo probatum est. Et quid si concilium inter se conveniret.

IV. Ostenditur ex his patribus omnium sæculorum, quibus obruere possumus hereticos. Neque dicas adulatos esse patres illos. pontifici. Cur enim quæso? Num ut opes venarentur? At eo tempore pauperrimi erant episcopi, uti et papa. Num ut dignitates? At nunc dignitates episcoporum erant januae mortis, nam episcopi omnium

IN FESTO SS. APOSTOLORUM PETRI ET PAULI.

7

primi quærebantur et rapiebantur ad mortem. A Concilio Chalcedonensi uno ex quatuor primis generalibus vocatur papa Leo caput Ecclesiae: vocatur vicarius Christi a Concilio Lugdunensi in sexto, tit. de electione. cap. *Ubi periculum*: vocatur summus pontifex ab antiquissimis temporibus. Audiamus Justinianum imperatorem: *Ut legum originem anterior Roma sortita est, et ita summi pontificatus apicem, apud eam esse nemo est qui dubitet*, ait Justinianus imperat. apud Baron. anno Domini 535. sed quid opus pluribus?

V. Ostenditur ex ipsis cathedraliæ Romanæ constanti duratione pontificum continua successione. Possumus enim argumentari cum Gamalielio illo legis doctore. Act. V. *Quoniam si est ex hominibus consilium hoc aut opus (cathedraliæ hujus consuetudo) dissolvetur, si vero ex Deo est, non poterit dissolverse.* Quia ergo nunquam defecit successio pontificum in hac sede, nec populi et episcopi, qui cum illa sentiebant eique ut vera membra adhaerebant: ergo a Deo et non ab hominibus esse eam necesse est. Interrupta est series et successio Romanorum imp. quando Gotthi Romam et imperium invaserunt ac tenuerunt, non imperatores, sed ut reges Ariani: defecerunt sedes aliae, quæ se a Romana segregarunt, Alexandrina, Jerosolymitana, Constantinopolitana, Antiochena, quatuor patriarcharum: defecerunt sedes episcopales plurimæ fundatae ab apostolis, Corinthia, Ephesina, Colossensis, Thessalonicensis, Philippiensis: Romana sola immota perseverat. Sed fortasse non habuit hæc sedes hostes illos, qui eam impugnarent? Imo vero plures et potentiores. Habuit enim juratissimos hostes primo Judæos, tum gentiles, post hereticos: de quibus omnibus hactenus felicissime triumphavit.

VI. Ostenditur ex consensu plurimorum populorum, episcoporum, sanctorum, regum et imp. qui omni tempore huic sedi constantissime adhaerebant et obediebant, eam defendebant et venerabantur. Tametsi enim aliquando mali aliqui gubernarent, ipsis mediis ad cathedraliæ promoti, episcopi tamen et populus christianus eos tamquam vero pastores habebat et audiebat, ut videre est apud Baron. Valentinianus imp. facta ei a clero potestate, ut aliquem designaret pontificem Auxentio defuncto successorem, renuit: *Supra nos inquit, est talis electio*, petiitque ut ipsimet talem eligerent: cui ipse etiam imperator sincere caput suum submittere posset, hist. tripart. lib. VII. c. VI. Anglie rex Oswi, cum haberetur disputatio de celebrando tempore paschali (in quo discrepabant à Romana Ecclesia) audissetque sub finem Petro datae esse claves regni

cœlestis: in eoque utraque pars conveniret: « Et ego vobis dico, inquit, si hic est ostiarius ille, contradicere nolo: sed in quantum novi vel valero, hujus cupio in omnibus obediere statutis: ne forte adveniente me ad fores regni celorum nouit, qui refert, averso illo, qui claves tenere probatur.» Imperatores usque hodie a summo pontifice confirmationem petunt electionis suæ. Eodem ex antiqua imperatorum consuetudine, et ultronea humilitate si Romæ sint, inserviunt, stapediam ascensuro in equum tenent, equum aliquandiu ducunt, etc. ut in rituali pontif. omnes Christiani ex antiquo more pedes pontifici osculantur: etiam monarchæ, qui in India eum pro pastore suo agnoscunt. Annon, queso, securius sequi tot monachas, et nationes, quam pauculos superbos novatores? Verum diabolus præsens neminem fore hereticum, si omnes summum Ecclesiae pastorem agnosceremus et audiremus, ideo hoc attentavit, ut a capite illo homines abduceret.

CONCIO III.

ROMANÆ SEDIS PRÆCELLENTIA.

- I. Ibi lapis ille summus. — II. Angularis. — III. Electus. — IV. Probatus. — V. Pretiosus.

THEMA.

Tu es Petrus et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Math. XVI.

Scribunt Plinius et alii complures (Plin. lib. X. cap. Pier. I. XIX. hierogl.) aquilam firmare ac munire nidum suum lapide ætite, quasi quodam libramento vel anchora. Unde Pierius refert aquilam saxum gestantem fuisse hieroglyphicon statutæ firmiter sedis. Videmus etiam in hodierno evangel. aquilam illam cœlestem, Christum designasse et elegisse sibi lapidem, Petrum, quem et petram novo nomine vocat, quo nidum illum suum, Ecclesiam videlicet, stabiliret ac firmaret. Et possemus de hoc etiam lapide intelligere, quod prædictus Deus per Isaiam, cap. XXVIII. repetitque S. Petrus, ep. I. cap. II. his verbis: *Ecce pono in Sion lapidem summum angularem, electum, probatum, pretiosum: et quid crediderit in eum, non confundetur.* Quæ verba ad litteram quidem et primario dicta sunt de Christo qui est petra prima. Verum quia etiam Petrus petra nomen a Christo sortitus est, eidem tamquam petra secundaria et vicario Christi jure accommodantur, necnon omnibus successoribus seu toti sedi apostolicæ. Et certe uti ætites lapis prægnans vocatur

CONCIO III.

apud Plin. loc. cit. quod alium intra se, quasi in altero gestet lapidem; ita etiam Petrus ejusmodi lapis est, qui alium in se includat successorem, et hic iterum alium adeoque totam seriem pontificum Romanorum.

Hunc igitur lapidem in praesentiarum describemus.

I. Vocatur *summus*. Primo, potestate et auctoritate; quia primatum obtinet in omnes alias sedes, et in omnem Christi gregem: unde vocatur *caput omnium Ecclesiarum*, ait id Concil. Chalced. in ep. ad Leonem; ubi etiam papa vocatur *universalis patriarcha* ab Anastasio, epist. ad Marcum etc. Sicut Ecclesia Romana vocatur *mater omnium Ecclesiarum*, in Conc. Nicæno primo papa vocatur *universalis episcopus, summus pontifex, apostolicæ sedis antistes, Ecclesiæ pater et caput, etc.* Justinianus imperator: *Summi pontificatus apicem apud Romam esse nemo est qui dubitet*, ait apud Baron. anno 535. Hæc sedes omnibus Conciliis præsedet, et sine ejus approbatione invalida sunt habita: depositus aliis episcopos, confirmavit et restituit: excommunicationis jus in omnes Ecclesias obtinuit: uti fecit Victor papa, qui omnes Ecclesias quæ non celebrarent pascha cum Romanis, excommunicavit. Baron. anno 199. Ad eam omnes alias sedes attraherunt ac velut ad matrem configurerunt, uti Athanasius, et Petrus Alexandrini episcopi, Paulus Constantinopolitanus, Marcellus, Chrysostomus, Theodoreus. Ea undique semper consulta est. Ejus epistolæ uti apostolorum in Ecclesiis legi solitæ, Euseb. I. IV. c. XXII. Damnavit omnes hæreses et de emergentibus admonere solita est, etc.

Secundo, honore et dignitate. Eam enim sedem maximo honore coluerunt reges, adeoque ad pedes ejus acciderunt. Justinus imperator veniente Jeanne papa Constantinopolim, cum tota urbe illi obviam processit, et ad pedes ejus procubuit, detrahensque sibi insignia augustalia, procidensque suppliciter petuit, ut illis rursum ipsum adoraret. Justinianus imp. Nicæae ad Constantini pontificis pedes procubuit eosque est osculatus, anno 710. Idem fecit Hadriano papæ Carolus Romæ, anno Christi 744. Et ejus pater Pipinus Stephano III. pontifici venienti in Franciam, anno 753. Idem fecit Ludovicus Pius Caroli filius Stephano V. pontifici, anno 816. Plura vide apud Baron. et Bozium, tom. II. de signis eccl. sig. LXXXVI. Neque solum principes sæculares honore ac dignitate præcessit, sed etiam sedes alias patriarcharum. Audi S. Leonem, qui ep. ad episcopos Viennenses ait: « Quisquis huic sedi principatum existimat denegandum, illius quidem nullo modo potest minuere dignitatem, sed infla-

tus spiritus superbiæ suæ seipsum in inferna demerit. »

II. *Angularis*. Primo, quia gentes et Judæos connectit et sustentat. Ad hanc enim sedem, quotquot ex utraque parte conversi sunt, convernerunt et unum in Christo facta sunt. Ad hæc sede propagata undique fides et emissi in universum orbem episcopi. Unus Petrus totius orbis Ecclesias principes, e quibus alias minores fidem edocerentur, ut ait Tertullianus, I. de præscriptionibus, fundavit. Nam ad orientem, Antiochiae Evodium episcopum creavit, cui totius orientis episcopi olim parebant: ad meridiem transmisit discipulum suum Marcum Alexandriam videlicet, cujus civitas episcopus Ægypto, Arabia, Æthiopie et Africæ Cyrenensi præerat: ad occasum præcipuas Galliarum, Hispaniarum, Africæ, Italie et adjacentium insularum Ecclesias constituit, ut post alios Innocentius I. testatur: ad septentrionem primarias in Ponto, Cappadocia, Bithynia, Græcia, Illyrico, Dalmatia, Germania quam misit inter alios Eucharium, Maternum, Valerium, Ægyptum) Ecclesias erexit: postmodum a sede ista in omnes orbis partes episcopi semper missi, uti superiore sæculo in Indiam, Chinam, Japoniam, Americam, etc. Videat qui volet, conversionem omnium nationum ab hac sede profectam apud Thom. Bozium, de signis Ecclesiæ, tom. I. lib. IV. sig. VI. cap. I. et II. Laboravit etiam sedes ista semper in Judæorum conversione, quorum primus apostolus fuit S. Petrus. Nam hodieque qui sunt Romæ Judæi, coguntur singulis sabbatis adire et audire concionem christianam, in ipsorum gratiam haberit solidam, in templo hospitalis SS. Trinitatis elapsò sæculo, anno 1524. apud Spondanum, in auct. chron. Sedi huic se reconciliavit Decius Æthiopie imperator et Helena ejus avia, per legationem ad Clementem papam promissam, promittens ille obedientiam, et benedictionem postulans, anno 1585. trium Japonia regum, qui fidem christianam amplexi fuerant, legati Romam missi ad obedientiam summo pontifici (qui tunc erat Greg. XIII.) præstandam postquam triennium itineri impendissent, apud eumdem.

Secunda, quia ab hac sede confessio in fidei dogmatibus, et sacramentorum ritibus, etc. prodiiit, et fideles omnes in vinculo pacis conjuncti sunt. Inde enim Concilia generalia, in quibus unanimi sensu dogmata explicata, disciplina ecclesiastica sancta, etc. Cujusmodi nullum adhuc cogere potuerunt nostri hæretici, quia capite cantent, quod imperet reliquis membris. Ab hac sede omnia fidei dubia semper resoluta, controversiae sublatæ et litigantes partes conciliatae: con-

IN FESTO SS. APOSTOLORUM PETRI ET PAULI.

9

cordia in cæremoniis et disciplina ecclesiastica stabilita, quia illius sedis decretis stamus omnes.

III. *Electus*, ob sanctitatem, quia sedes hæc præ omnibus aliis excelluit. Nam primo, nullus eorum, qui in ea sederunt, fuit hæreticus, licet non desint aliqui qui perdite vita fuerunt. Itaque impletum in illis est Christi verbum: *Rogavi pro te, Petre, ut non deficiat fides tua.*

Secundo, nullus status, nulla sedes aut successio principum aut præsulum tot habuit sanctos, atque illa Romanorum pontificum, e quibus septuaginta duo ad minimum indubitate martyres sunt. Reliqui plerique (aliquos enim excipimus, qui fere potentia principum sæcularium intrusus fuerunt) optimæ et laudatissimæ vitae fuerunt.

Tertio, excelluit ea sedes in omni virtutum generere. In religione imprimis et cultu divino, quem ubique terrarum propagare semper studuit totis viribus.

In munificentia et liberalitate: ubi imprimis Gregorius Magn. qui innumeros pauperum greges diversis in locis aluit: Leo II. cuius festum heri celebavimus, quoque vere *pater pauperum*, vocatur in breviario, quod non solum pecunia, sed et opera et labore et consilio egentibus subvenit: Gregorius XIII. qui tredecim collegia alumnorum per orbem dispersa fundavit amplis redditibus. Ad hæc quotannis aureorum septuaginta in egenos erogavit Romæ, Bozius, tom. I. I. XV. sig. XII. c. III.

In magnanimitate, dum intrepido semper animo munus suum administrarunt, etiam in exilio, ut Silverius; idque contra hostes tutati sunt, nec unquam dari sibi leges a sæculari potestate passi, semper se opposuerunt reprobis principibus, nec timuere minas hostium, confisi in Dei ope et Christi promissione. Sic fregit verbis Attilam S. Leo: sic Gregorius II. Luitprandum Longobardorum regem, qui hostili manu et animo Romam ingressus fuerat, Baron. anno 729. Eadem magnanimitate contempserunt minas Turcarum, et responderunt illis per litteras nihil formidare, qui in Christi nomine confidant. Hinc pontifex quidam Turcarum imperatori respondit ruinam Ecclesiæ minitanti:

*Niteris incassum Petri submergere navim.
Fluctuat; ast nunquam mergitur illa ratis.*

Anno 1026. Saracenos Ecclesiæ littora invadentes Benedictus Pp. comparata valida classe ad internectionem delevit, ipsorum rege fuga elapsò; regina vero capta, et ob audaciam capite truncata. Rex autem morte conjugis et sociorum admotum turbatus, summo pontifici saccum castaneis

plenum misit, tot se in proxima æstate milites esse ducturum minitans: pontifex vero marsupium eidem milio plenum remittens, tot ipsum loricatos, vel plures in Italia inventurum respondit, Baron. anno cit. Alio tempore Mahomet, Turcarum imperat. pontifici scriptis hæc verba: « Corinthum Achaias nobilissimam urbem, Aetolos, Acarnanes, Macedoniam, atque omnem Peloponnesum armis invasimus: vicos præterea, agros et oppida late incendio depopulati, ut mox in Italiam bellum transferamus. Hæc tibi omnia cum summo Christianorum metu ac detimento nuntiamus. » Cui respondit pontifex:

« Quod Græciam omne ferro ignique vestaveris, non eam crudelitatem in hac re tuam, quam tot urbium direptiones ulcisci paramus. Neque enim victor hostibus ignorare poteras, qui tuis etiam immanitate, scelere ac libidine nunquam pepercisti. Nec ei pius fasve quicquam apud homines esse potest, cui neglecta religione Deus in contemptu sit. Nos tamen nullum a te bellum in Italia metuimus. Facile enim scelerata hominum arma contemnit, qui Dei nomine ac præsidio tuus est. » Hæc apud Matth. Rader. tom. II. Bav. s.

In humilitate, ut patet primo, ex titulo, quo se vocant pontifices servos servorum Dei a tempore Gregorii Magni, et papas, id est, patres: Christianos vero quoslibet, aut filios aut fratres. Deinde, ex eo, quod electus pontifex variis cæremoniis admonetur humilitatis; ut cum, stupra coram eo incensa, ei occinatur: *Pater sancte, sic transit gloria mundi*, et cum ducitur in Lateranum, et sedet in stercoraria sede lapidea ex antiquissimo instituto, ubi ei interim occinatur id: *Suscitans de pulvere egenum; et de stercore erigens pauperem.* Ad hæc feria quinta in cena Domini, anniversario more duodecim pauperibus ad pedes accidunt, eosque lavant, tergunt et osculantur, en humiliatem, etc.

IV. *Probatus*, quia variis exagitatus et quassatus persecutionibus, immotus semper stetit per annos 1700. ethnicus imp. per annos 300. pontificiam sedem exscindere conati sunt, ab ipsis episcopis Romanis, quasi a capite cædem populi christiani auscipiati. Unde imprimis Romani pontifices ad necem quæsiti et rapti sunt. Verum uno secto capite, mox aliud succrevit, et sedem illam occupavit, et ita tyranni illi frustra laborarunt, turpiterque confusi atque exterminati sunt. Hos secuti imp. hæretici, Constantius, Valentus, Zeno, Anastasius Græci: deinde, per annos sexaginta circiter Gotthi reges Ariani, qui tunc Italianum titulum regum tenuerunt, postea reges Longobardorum; quæ vexationes durarunt ad an-